



Disputatio medica inauguralis de melancholia hypochondriaca

<https://hdl.handle.net/1874/345782>

41.
DISPUTATIO MEDICA
IN A U G U R A L I S,
D E

Melancholia Hypochondriaca

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiae Doctoris, & Linguae Sanctae in Illustri
Academia Ultrajectinae Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissima

Facultatis MEDICAE Decreto,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S,

Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &
Privilegiis, ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

GERARDUS STRUYCKMAN, AMSTEL. BAT.

Ad diem 15. JANUARIJ, horis locoque solitis. Vet. Stif.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lōc xciv.

*Honoratissimo, Spectatissimo, Pietate &
Virtute Conspicuo VIRO,*

D.D. LAURENTIO STRUYCKMAN,
Parenti meo Venerando, Filiali amo-
re & honore prosequendo.

Æquissimo Prudentissimo VIRO,
D.D. CONRADO STRUYCKMAN,
Fratri meo Charissimo, Mercatori in-
ter Nannerenses in Gallia florentissimo,
foelicissimo.

NEC NON

D.D. JOHANNI HAMAECER,
Fratri meo affinitate conjuncto, sem-
per a me honorando, Mercatori inter
Amstelodamenses foelicissimo honestis-
simoque.

Hanc Medicam Dissertationem

Consecrat atque offert,

GERARDUS STRUYCKMAN.
AUCTOR.

Melancholia Hypochondriaca.

T H E S I S I.



Elancholia Hypochondriaca quid sit, nomen Morbi indicat, *est delirium sine febre & furore cum metu & tristitia conjunctum, inde originem trahens, quod Hypochondria pessimo aliquo morbo laborent.* Enimvero hæc omnia illo nomine concludi, nemo inficias ibit, qui rem accurate attenderit.

I I.

Hinc igitur addiscere possumus, primo quibus modis conveniat, deinde quibus itidem differat; cum ab aliis omnibus, tum imprimis ab ejusdem generis Morbis. Quod enim *delirium* sit, certe caput affici denotat, inde reliquas humanæ compagis afflictiones non huc appellari scimus: quod *sine furore & febre* existat, & Phrenitidem & maniam, & consimiles morbos, horum sive cum altero, sive cum utroque conjunctos, ablegatos vult; quod *ab Hypochondriis originem trahat*, delirium Melancholicum exclusum iri jubet, quod vel a toto corpore, vel a massa sanguinea totius corporis aliter depravata, vel ab ea parte corporis & sanguinis, quæ cerebrum est, aut in cerebrum appellit, illiusque oras omnes, portus, sinus, rigat, vel a peculiari spirituum animalium dyscrasia; vel quacunque alia ex causa dependere queat.

I I I.

Abhinc ergo propius morbi ad notionem ut accedamus, in Melancholia Hypochondriaca itaque universa hæc occurrunt symptomata, quorum alia in aliis observantur, neque omnia in omnibus comperiri, compertum est. Primò delirium, cum tamen sum-

num gradum adipiscitur, vix ante illum: deinde mœror, tristitia, ac sine justa causa metus: hinc & taciturnitas, & solitudinis amor, & morositas: ad hæc & acre ingenium, & perspicax, & iudicium constans, ac pertinax; appetitus modo auctus ad voracitatem usque, modo depravatus, raro diminutus: sitis vero rarior aut depravata. Sed & aliquando difficilis assumptorum fermentario, ventriculi a cibis distensio, murmura & rugitus ventriculi, & hypochondriorum, ructus, iique ordinariò acidi, crebra vomitio, nonnunquam bolus quasi faucibus inhærens, præprimis cum Melancholiæ Hypochondriacæ suffocatio conjungitur Hypochondriaca.

I V.

Alvus ipsorum plerumque adstricta est: membrorum omnium gravitas vexat: pulsus, & rarus, & tardus, & vero etiam durus, & magnus, solet esse. Frequens cordis palpitatio, sed & cardialgia, & quandoque animi deliquium obvenit. Respiratio sæpe difficilis anhelosa existit, imo fere semper, tardò, sed magnè respirant. Somnus sæpe perpaucus, vel insomniis peturbatus. Aspectu torvi, luridi sunt, lachrymantes, gemebundi, suspiriosi: in consortiis taciturni, morosi, & pertinaces, vel è contra effusè hilares, aut garruli, ut modum tenere nesciant, cujus tamen postea ipsos pœnitet, ita ut per impetum post epulas, vinum, & somnum, ad Melancholiam redeant. Huc accedit, in re aliqua, profunda, & defixa quædam cogitatio; oculorum ad Cælos elevatio, manuum complicatio, aliique gestus, qui mœrorem, & tristitiam testantur, facies iis est suppalida, vel livida, cutis arida; oculi aut turgentes, aut tristes, aut volubiles & vagi. Febre tamen non laborant, aut non nisi raro, saltem diu.

V.

Abundantiâ feri scatent, *sputatores enim sunt melancholici*, quin & stiriam de naribus pendulam habent. Venæ extensæ, statulentæ sunt (flatuum enim ingens in iis proventus) hinc difficulter sanguis iis elicitur, quod bene norunt Chirurgi, quin & in visceribus nihil præter flatum ferme solet ab anatomicis reperiri. Unde in intestinis sæpissime pars repletur flatu, pars stercore, & sic deinceps. Hinc Colicosi existunt, borborygmos, & murmura innumerabilia, patiuntur. Quoad animum, & naufragiorum, & funerum, & cædium, & plurium similium, ideas videre se existimant.

mant. timidi enim, & meticulosi sunt, & diffidunt omnibus, ac ad contumeliam omnia accipiunt magis. Quoad corpus, imo & animi consilia, tardi sunt, ac hebetes, & propositi tenaces. Quin & avari, invidi, fraudulentum audiunt, & vafri, & versipilles, imo & diaboli balneum. Crescente malo, ab externis, & internis causis prædeliri fiunt.

V I.

Lien eorum fere semper est tumidus, magnaque ibi palpitatio nonnunquam, quasi inibi cor esset, præsentitur: quin & subtus ventriculum pulsatio insignis, imo, in eadem regione, dolores passim oriuntur, qui hinc inde vagi transcurrunt. aliquando ante mortem vomitus nigri superveniunt, erosus vasis brevibus, quæ sacculentum suum sanguinem in ventriculum effundunt. Urinam habent nigram, quæ aliquando, si copiose excernatur, salutaris iis esse potest sicut & per hæmorrhides aliquando excernitur materia peccans, notante Sennerto. tandem tinnunt aures, vertigine tentantur.

V I I.

„Porro ut a Willisio, morbi hujus accurato admodum Scriptore, paucula delibemus: homines sunt, inquit, temperamenti „atrabilarii, cum aspectu lurido, & graciliori corporis habitu: „raro est quod morbus iste *evanescens* vultu florido, aut etiam nimis „phlegmatico præditos molestat: circa ætatis *æpulum* signis manifestis se prodit; huic viri, frequentius quam fæminæ, obnoxii „reperiuntur, in mulieribus ob debiliorem constitutionem, affectibus spasmodicis longe pluribus stipatur; quare vulgo dicitur in hoc sexu, *passioni Hypochondriacæ hysterica* adscisci..... circa membranas pectoris, ac præcipue mediastinum, „dolor acutus, qui modo in una parte circumscribitur, modo ad „scapulam extenditur..... in capite dolores atrocissimi periodice „revertentes emergunt; item Scotomiæ, vertigines, vigiliæ per „tinaces, cogitationum æstus, & fluctuatio molestissima, animi „incertitudo, phantasia perturbata, rei cujusque formido & suspicio, morborum, quibus immunes sunt, possessio imaginaria, pleræque etiam aliæ spirituum distractiones, imo interdum „melancholia, & mania, hanc ægritudinem comitantur. Circa „partes externas dolores vagi, nec non spasmi, & stupores cum „for-

„formicationis sensu invadunt, sudores nocturni, sanguinis in facie & volis manuum suffusiones, febres erraticæ, & pleraque „alia incertæ originis symptomata passim oriuntur.

VIII.

Ac isthæc modo sufficiant. Compendium ergo ut faciam, ac, ancipiti in iudicio, aliquid ut certi ac pathognomonici statuam, quæ hominem purum putum Hypochondriacum commonstrant, illa præcipue sunt; nimirum, *pulsatio Hypochondriorum, palpetatio sub pectore, flatus, rugitus, borborygmi ventriculi, ac intestinorum, ructus acidi, voracitas, vel fermentatio laesa, respiratio difficilis, dolores vagi, vertigines, morborum non possessorum imaginatio, cephalalgia, cardialgia, animi deliquia, & si qua sunt huiusmodi, cum prioribus tamen combinata;* Hæc, si absint, Melancholia erit alterius generis, vix illa, de qua hic agimus, Hypochondriaca: hæc si sola sint, hanc solam adesse pronuntiabimus; hæc si, *maculas in corpore, putredines, in ore, gingivarum hamorrhagias, inflammationem, alia, conjuncta habeant, scorbutum: si suffocationem insignem, bolum sursum ascendentem, convulsiones, quasi Epilepsia foret, menses suppressos, hystericam affectionem: si tumorem insignem lienis, vel duritiem, dolorem item, eumque ad tactum ingravescentem, difficilem, ac suspiriosum incessum, & quæ præterea illius mali indicia sunt infinita alia, morbum lienalem, & sic de cæteris; tum affectioni Hypochondriacæ conjunctum & complicatum esse judicabimus.*

IX.

Hinc me ad causas conferam; illas vero breviter ut expediam, multa paucis dicere necesse habeo. Itaque omittam longissimam Dissertationem de lienis usu, nihil dicam de illius vitiis, ne attingam quidem aliorum opiniones circa hunc morbum; & quid mea sit opinio duntaxat proferam. Melancholiæ ergo Hypochondriacæ quadruplicem ego causam agnosco. 1. Spirituum animalium impuritatem ac torporem. 2. Cacochymiam sanguinis seroso pituitoso-Melancholicam. 3. Humorū pituitosorum, ac Melancholicorum, in prima corporis regione, congestionem. 4. Denique totius corporis, ac omnium ejus partium, obstructionem, quin & intemperiem frigidam, humidamque aut etiam siccam. Ab his ego rebus cuncta illa affectionis Hypochondriacæ symptomata, haud incommode deduci posse putem: hæc enim, si data

data sint, certe illa sequentur: hæc si tollas, longissimas hypothes-
es fabricari necesse habeas.

X.

Ut missas faciam opiniones veterum de liene; triplicem ego
impræsentiarum, magni momenti, ac ponderis, de lienis usu,
hypothesim adoro: alteram Willisii, magni illius Viri, & Velt-
husii, qui usum *fermentativum*, respectu sanguinis, illi tribuit:
(omnino qualem fermentum, respectu panis, habet, nam *modi-
cum fermentat totam massam*, ut est in sacris) alteram Sylvii, Me-
dicinæ decoris, & ornamenti, qui sanguinis *munus exaltatorium*,
imo & plusquam perfectorium, lieni primus inspexit. Tertiam Cl.
D. Drélincurtii, qui lieni *munus dilutorium* tribuit, respectu san-
guinis jecorarii, quatenus ille dilutus, & attomatus, copioso sero
per amplissimam arteriam lienalem (quæ major est multo jeco-
raria) cum sanguine recepto, indeque per venam lienalem, in venam
portæ refuso, haud paullo commodius & facilius per hepatis aci-
nos, minutæque vasa filtrari, ac transcolari queat, cum alias ob-
crassitiem sejus, quippe sero nuper inter circulandum orbat, in-
eptus esset ad illa vasa subeunda. Sic, esto, per me, obstructio
lienis causâ partialis hujus morbi, ego non solum lienem, sed &
hepar, & pancreas, & mesenterium, & uno verbo, totum cor-
pus obstructum causari paratus sum.

X I.

At, si quis *munus fermentativum* lienis, si alius usum *plusquam
perfectorium* sanguinis, si tertius officium *vitiatum dilutorium* incla-
met; enimvero, quid vis? dicam; concedo tibi totum: Habes,
quod optas. Unde tamen, ex te quæram, illa aberratio in mi-
crocosmo? an Cælitus fulmen, in lienem prolapsum, illum so-
lum afflavit, cæteras compagis humanæ partes intactas reliquit?
an potius anteivit, illa, quam dixi, cacochymia. Et hanc con-
sequens, in prima regione, humorum congestio, unde regulari-
ter illa mala concatenata manarunt? habes argumentum logicæ
cornutum: elige, quod vis: si primum dicas, *monstrum*, profe-
cto, *horrendum*, ingens, proferes: sin vero secundum, mecum agis,
mearum partium miles eris.

Causæ

DISPUTATIO MEDICA

XII.

Causæ vero procatareæ non multo pauciores sunt, nimirum omnia illa, quæ ad generationem faciunt humorum Melancholicorum, id est, acidorum, austerorum, vel acerborum: vel quæ peculiarem illis induere possunt fermentationem. Huc ergo aer frigidus, humidus, nebulosus, crassus; hincque hæc affectio in septentrionalibus plagis adeo familiaris. *Hic ubi perpetuis obductum nubibus æther*: Vel è contrario nimium urens, sed rarius: huc alimenta aquea, acida, austera, acerba, crassa, glutinosa ac terrea: huc somnus, vel vigilia, si nimia sint: huc nimia corporis, sed præcipue mentis, exercitia, vita otiosa, & sedentaria, unde & famina, & viri litterati, huic morbo magis obnoxii, ac Melancholia litteratorum hominum *stipendium* dicitur: huc affectus frigidi, ut tristitia, mœror, metus desperatio &c. unde non raro feminae, ob liberos in ripa fluminis positos, vel viri, alio subitaneo terrore perculsi, in hunc affectum inciderunt: huc variæ excretiones suppressæ, in quibus eminent hæmorrhoides & menstrua. Tandem hæreditas, nam *fortes creantur fortibus* &c. & Melancholici Melancholicos gignunt. Ultimo infortunium, non solum a damno perpeffo, verumetiam a morbo graviore, quin & a debilitate partium Chylificationi, & sanguificationi, inservientium, mala corporis conformatione; itemque pluribus aliis, sed ejusdem prorsus farinae.

XIII.

Has cuncti causas auctores in confesso habent; cæterum quomodo, ab illis causis continentibus, tam multiplicia producantur symptomata, id & tergiversari quispiam posset, & fortasse haud adeo facile est explicatu. Interum moneo, illam rem haud majoris esse momenti (imo forsan multo minoris) hac in hypothesis, a me præstituta, quam in opinione illorum, qui usus lie-nis vitiatos causantur, & acidum in sanguine abundans, ut causas proximas hujus morbi. Quod cum a magnis illis magnarum hypothesis architectoribus, jam satis superque sit præstitutum, equidem possem hoc labore supersedere, ni summa rerum capita attingenda putarem, quod veritas hujusce hypothesis aliquanto clarius elucescat.

Igitur

X I V.

Igitur, posito illo acidi, austeri, ac acerbi, dominio in corpore, id est, cacochymia illa sanguinis serosa pituitosa ac Melancholica, equis non videat, totam illius crasim perverti; ex illo deinde fonte, innumeras non solum spirituum, verum & humorum reliquorum, & functionum animalium, naturalium, ac vitalium, & viscerum cunctorum, in officiis peragendis suis, anomalias, necessario consequi debere? acidum enim, extra corpus, & coagulat, & constringit, & refrigerat, & siccatur, & sitim pellit, & alcali domat, & bilem refranat, & sexenta alia praestat, quae Chemicis experimentis manifesta sunt; unde, idem intra corpus praestare, putandum est. Acidum autem cum dico, & acerbum, & austerum, una nominata volo; nam haec non, nisi gradu, inter se distant. Itaque si sanguis nimis sit acidus, & acerbus, hinc primo illius quasi coagulatio (neque enim illam adeo perfectam hic esse dicimus, ac in lacte sit) deinde secessio; tertio minor fluiditas, postremo motus segnior, ac tardior fit. A segniore hoc motu sanguinis, pulsus Melancholicorum, & rarus, & tardus, existit. Uti, a crassitie ejusdem, & durus, forsan, & magnus. A secessione sanguinis illa poene incredibilis feri abundantia, qua ad glandulas salivales, & os, continuo affluente, incessanter sputatores fiunt Melancholici, & plus multo mingunt, quam bibunt, & sudoribus nocturnis scatent, & stiriam de nasibus pendulam habent, mucosque nonnulli, non minus, quam infantes, fiunt.

X V.

Cæterum coagulum sequitur crassities sanguinis, & omnium ejus particularum: hanc vero consequitur generatio spirituum itidem crassiorum, & segnium, & minus volatiliū, & minus purorum, quatenus minus subtilium: hincque ignavi sunt Melancholici, hebetes, tardi, laborum pertæsi: propositi porro tenaces supra modum; eò quod crassiores, & segnes illi spiritus non facile ad nova cogitanda, vel aggredienda, ob eam, qua præditi sunt, fixitatem, impellantur; hinc & illa perpetua, una in re defixa cogitatio, quæ vel in delirium facefcere solet: hinc &, in parte, acre illorum ingenium consurgit, eò quod perpetuo eadem meditentur, volvant, revolvant, non desultorie, tanquam

cursores equos, sic cogitationes mutant, aut perfunctorie de rebus agendis, vel scientiarum objectis, cogitent, sed serio, constanter, diu, ob fixitatem spiritibus ipsorum innatam. Cæterum, ab impuritate eorundem spirituum, (impurantur autem ab halitibus, vaporibus, & flatibus, perpetim ab Hypochondriis & congestione illa humorum, in caput elevatis,) & tenebrositas ipsorum, & metus, & pusillanimitas, & ideæ funerum, ac cædium, & a metu tristitia, & ab hac solitudinis amor, & indidem silentium, & odium hominum, & hinc morositas, & consimilia elucescunt symptomata.

X V I.

Jam vero quod vafri, ac versipelles, sint Hypochondriaci, quod suspicionibus agitentur, nec cuique fidant, partim a pusillanimitate, qua cuncta timent, sibi que ipsis cavere student, partim ab ingenio perspicaci; quod plurima videant, distinguant, dividant, præscindant in objectis, partim a merore, quo neminem mortaliū sibi favere putant, deducenda sunt. Quod libidinosi sint, ab acrimonia genituræ, sale plurimum exaltato, ac in acidum, aut austeram, degenerantis, petendum venit. Quod voraces supra modum existant, indidem omnino fit, quatenus fermentum ventriculi naturā acidum, supra naturam exaltatum, copiāque auctum, quin & acerbi lineam jam adeptam cuncta Comminuat, continuoque vellicet teneras, ac membranosas partes, superioris orificii ventriculi. Quod si absit hoc symptoma, vitiataque potius concoctio sit, certe illud ipsum, & sero, & pituitæ, &, in prima regione, congestioni aliorum humorum tribuendum, quæ fermento acido implicata illius *visperæ* obtundat, vires omnes labefactet, unde primo *spadure* alimentorum, hincque particulae eorundem salinæ in fluorem evectæ universam chyli massam in pulvem, modo acidam, modo austeram, modo salinam, vel acrem, convertunt; indeque rursus cruditates acidæ, nidorosæ, & gravatio ab assumptis, & distensio ventriculi, ac Hypochondriorum, & flatuum ingens proventus, & rugitus, & borborygmi, & ructus, & cardialgiæ, & crebra vomitio, & infinita alia mala infestant.

X V I I.

Ac illā congestione pravorum humorum, in prima regione, sæpe sæpius a bile, & calore, agitata, & flatus, & halitus, &

vapores, sanguini communicat vitiosos. Illa vero agitatio, quo nunc major, nunc frequentior, existit, tantò paroxysmos facit Hypochondriacos, vel majores, vel frequentiores. Hinc vero, in capite, & Cephalalgia, & vigilie pertinaces, & impuratio spirituum animalium, & Scotomia, & vertigines, & cogitationum æstus, & fluctuatio molestissima, & animi incertitudo, & phantasia perturbata & omnium rerum formido, ac suspicio, & morborum, quos non habent, persuasio, & quid non malorum? in thorace vero, & constrictio nescio quæ, & angustia, & circa mediastinum dolor acutus, & respiratio difficilis, & paroxysmi asthmatici, & cordis palpitatio, & spirituum deliquia, & lipothymia metus, quæ omnia ab acrimonia eorundem halituum, exindeque ortis membranarum contracturis, dependent. Jam vero, in abdomine, crebræ punctiones, & dolores vagi, & tormina, & similia, ab eadem exaustuatione humorum, & flatuum acerrimorum, propullulant.

XVII.

Quod vero lien non raro non solum tumidus, in hoc affectu, verum & durus, & scirrhus evadat, id ego copiarum pituitosorum, ac Melancholicorum, hoc est, acidorum, acerborum humorum, tribuo; non hoc viscus solum, verum & quævis viscera, & cunctas ferè corporis partes, obstruere idoneorum, hinc ille, aliquando tumidus aliquando non: hinc & alia viscera multo magis illo labefactata reperiuntur in cadaveribus Hypochondriacis, ut jam diximus. A liene vero obstructo, sequitur sanguinis regurgitatio, unde vero simile est, *pulsationem istam, quæ in Hypochondriacis subius ventriculum sentitur, exoriri*, teste Willisio.

XIX.

Plura dicerem, ni sapientibus loquerer; cæterum, qui plura velit, illos adeat auctores suadeo, qui acidum, & vitiatos lienis usus, culpant in hoc affectu; illa enim cuncta pro me faciunt, neque hæc ab illis adeo longe sunt diffita, nisi quod hæc methodus mihi magis arriserit, ob faciliorem universa φαινόμενα explicandi rationem: deinde quod ipsi, cui musæ militant, veritati, proximis non nihil accedere videatur.

XX.

Ad prognosin denique quod spectat, formare illam cuilibet ex antea dictis equidem facile esset. acidi enim, acerbis, & austeris,

quæ est natura, illa vulgaribus remediis cedere nescia, ac ne fortioribus obtemperare sucta, nihil non ardui in Morbis, sive Chronicis, portendere solet, at hæc, quæ illis constat, Cacochymia Melancholica, & a Medicis Cacochymiarum omnium semper pessima iudicata, & correctione operosissima inventa, & eductione multo adhuc operosior, experta fuit. id, multis in locis, magnus conqueritur Sylvius, dum acidi, in corpore luxuriantis, nulla propria dari purgantia testatur. Quid quod & innumeræ hic obstructions tollendæ, & causa fere frigida, & viscida existit, & tota massa sanguinea, & pleræque partes corporis laborant, &, ut initio diximus, hic taro solus incedere, plerumque vero, cum aliis morbis *Complicatissimus* solet, esse morbus; unde non mirum, si, crescente malo, sæpe in maniam, epilepsiam & consimiles morbos degeneret. *vide aphoris. 56. Sect. 6.* Unde periculum pro longiore duratione & graviore symptomatum comitatu, functionumque tam naturalium quam animalium læsione determinandum. tanta enim aliquando causarum & symptomatum est vehementia, ut postquam inveteraverit non raro ægrum de medio subito sustulisse observatum sit.

X X I.

Enarratâ Melancholiæ Hypochondriacæ naturâ, traditisque ejus causis & signis tam diagnosticis quam prognosticis, ordo postulat ut curationem subjungam. Cum vero affectus hic valde compositus ex variis ac sæpe diversis symptomatibus *stipatus* observetur, sequitur horum respectu curationem multum variari debere & in singulis individuis ad humores seu qualitatibus seu copiam magis peccantes: loca & partes affectas, atque symptomata magis urgentia attendendum esse.

X X I I.

Et quia recte a medicis dictum est *sublata causa morbum tolli*, feliciter curaturus juxta *Thef. 9.* ad hos scopos attendat. ut spiritus puri & volatiles generentur: ut cacochymia sanguis Melancholica alteretur, emendetur, tollatur: ut humores in hypochondriis & prima regione congesti evacuentur, atque obstructions tam in his partibus quam in toto referentur, aperiantur & auferantur. Quæ omnia remedia ex diætetica, pharmaceutica & quandoque Cheirurgica subministranda veniunt: singula hic proponere & de-

his cautiones & observationes addere longum foret, atque limites disputationis solitos multum excederet.

X X I I I.

Convenientem dietam in hoc uti in omnibus Chronicis malis summe necessariam esse, & plurimum posse, omnes Practici tradunt: frustra enim adhibentur medicamenta, si æger continuo peccet in diætâ. Ne *Crambem recoctam sæpius apponam*, lectorem circa dietam *ad lib. 2. cons. 21.* relegabo experientissimi Cratonis, atque Celeberrimi Sylvii tractatum de hoc morbo, qui recte hic ad ea quæ noxia, quæ utilia observantur in diætâ attendendum esse, monet.

X X I V.

Dietetica sequuntur Pharmaceutica remedia, ex illis huc referenda sunt, quæ vulgo lenientia, humores melancholicos præparantia, præparatos, per alvum, vomitum, urinas, sudores, quin & per os in modum salivationis evacuantia audiunt. Omitrenda quoque minime sunt, quæ obstructions tollunt, & puros & volatiles spiritus, laudabilemque Chyli & sanguinis generationem producant, communiter corroborantia dicta.

X X V.

Humores in ventriculo subsistentes & copiosi vomitoriis, imprimis si mala diætâ affectui ansam & originem dederit, in intestinis & sanguinea massa collecti purgantibus, utrisque lenioribus, evacuantur. Ad humorum, in hoc morbo peccantium, naturam, qui attenderit, eosque acidos & austeros noverit immemor verissimi medicorum axiomatis esse non poterit. Acidum nisi correctum purgari nec potest nec debet. insignis in hoc est *Aphor. IX. Sect. IV. cum Aphor. IX. Sect. II.* divini Hippocratis. Utiliter itaque istis lenientibus & evacuantibus talia adduntur, quæ nimias effervescentias cohibent, qualia acidum infringentia, testaria, terrea, salina, &c. neque Clysteres e numero evacuantium contenta in intestinis hic excludenda videntur.

X X V I.

Remotis hisce in primâ regione impedimentis ad sanguinis & humorum vitia corrigenda: obstructions delendas humorumque correctorum per convenientes vias eductionem transeundum est per idonea medicamenta, diversis modis & alterantia & evacuan-

tia & variis nominibus a modo operationis aliisque relationibus designata. talia sunt salia fixa, volatilia, oleosa, aquosa. spirituosissima, terrea, attenuantia, incidentia, deobstruentia, narcotica, diuretica, diaphoretica, &c. de quibus auctores videri possunt; quæ diversimode juncta aut separata exhibenda sunt. *in formulis (cum magno Sylvio) medicamentorum proponendis non habemus, cum illa commodissime addiscantur circa agros.* Iisdem boni spiritus sanguis & humores restituntur, & laudabilis Chylificatio inducitur, observata (ut dixi) conveniente diæta.

X X V I I.

E Cheirurgica ad usum in hoc morbo vocari queunt venæ sectio, fonticuli, hæmorrhoidum provocatio &c. quæ pro circumstantiis vel institui vel omitti debent. Ad ista determinanda solitæ evacuationes suppressæ, sanguinis ebullitiones, deliria, similiaque symptomata considerentur. Quemadmodum enim hæc remedia in talibus casibus utilia, ita in aliis plane noxia esse queunt.

X X V I I I.

Ista non modo de remediis Cheirurgicis sed & Pharmaceuticis, uti de diæticis monui, accipi velim, quare *sæpe lupum auribus tenemus.* in omnibus igitur ratione morbi hujus adeo complicatissimi, & symptomatum, quæ urgentia sæpe ad se curantis auxilium vocant præsens, diversitatem, summa Medici requiritur prudentia & attenta consideratio. Hic enim, si ullo in morbo, Valet illud sat cito, si sat bene, & festina lente. De cæteris consulantur auctores ego hic manum de tabula.

*Ne Chrysippi scrinea lippi
compilasse puter.*

F I N I S.